



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-590054-p0001-1

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-590054-p0002-7

DFG

G.26.num.13. 2014.31
Solo Favente D^oc.
DECADES TRES POSTERIORES
QVÆSTIONUM CONTRO-
versarum Civilium & Saxonii- 1618, 4
carum

Ex Jure Arresti.

Quas


PRAESIDE

SIGISMUNDO FINCKELTHAUS I. U. D.

Exercitij publici gratiâ defendet

JOHANNES HEIGIVS Witeberg.

Ad diem 26. Novemb. horis locoq; consuetis.



LIPSIÆ

Excudebat Laurentius Cober.

ANNO M. DC. XVIII.



Ex Libr. Ante effi.


PRAESES

SIGISMUNDI HINCERTHIUS LIPSI

JOHANNES HEICHLA Matisse.

HICHEPEL FESTGEMINIS COPPI

Anno M DC XLI





Equuntur reliqua ad materiam Arresti quæstiones controversæ, quæ ad circumstantias temporis et loci, ad formam & modum de jure Saxonico prosequendi, effectum, pacta, pœnas, actiones, relaxationem, &cætera referri possunt.

Quæstio

I.

Nundinarum tempore debitor arrestari non potest. (a) Sed est né nundinarum locus intelligendus non saltem ille, in quo nundinæ celebrantur, sed & intermedius itineris locus, per quem fortè debitor ad nūdinas ire & redire solet? Neg. (b)

(a) (1.) Arg. l. un. ibi: ut nullum in mercatib. C. de nund.
(2) per const. Elect. 30. p. 1. versic. Wir wollen aber sonder-

A 2 lich.

lich. Ratio est, ut merces ad humanæ vitæ conservationem necessariæ eò liberius & majori copiâ à securis mercatoribus convehantur.

(b) Ratio (i.) quia beneficium hoc est locale, ad locum scilicet ubi nundinæ celebrantur restriktum: per dict. l. unic. in fin. ibi: *ibidem concurrentibus. C. de nundin.*

(2) per Constitut. Elector. 30. p. 1. vers. fin. ibi: Innerhalb der öffentlichen Märkte. Cum igitur hoc privilegium INTRA nundinas servandum sit, non debet EXTRA eas extendi. Dan. Moll. ad dict. constit. 30. n. 10. Diff. Harprecht. in process. judiciar. decad. 23. concl. 8. n. 9 per'jura ibi allegata.

II.

An debitor ejusvè bona, nundinarum tempore ob debitum in ipsis nundinis contractum arresto detineri possint? Neg.

Ratio, quia Constit. Elector. 30. varias Dd. opiniones in princ. rejicit, & postea omnes casus complectitur. ibi: In allen Fällen/ Item: Rein Arrest. Item: Niemand. Et ita in Electoratu Saxoniæ observari tradit Moll. d. const. 30. n. 9.

III.

Debitor fugitus & de fuga suspensus, ejusvè bona an tempore nundinarum arresto constringi queant? Neg.

Ratio (i.) quia d. L. un. C. de nundin. generaliter loquitur ibi: ut nullum convenient. Et ibi: aliquam molestiam inferre. (2) per

(2) Per generalia verba d. constit. Elector. 30. ibi: In allen
Föllen. Atque sic in nundinis Lipsiensibus etiam observari
testatur Moller. ibid. n. 6. Diff. Bernh. Grævæus lib. 2. præ-
dic. conclus. 44. confid. 1. n. 25. 26.

IV.

De nocte an Arrestum conceden- dum? Aff.

Ratio, quia quamvis tempus nocturnum ad actus judi-
ciales expediendos incongruum & indecorum videatur,
capit. consuluit. 24. circa fin. extr. de offic. Et potest. jud. delega.
Possunt tamen propter necessitatem, si res tempore est pe-
ritura, etiam de nocte partes à judice accommodari. arg.
l. 1. §. sed excipiuntur. 2. ibi: si restepore peritura sit. l. 2. Et 3. ff.
de feriis. Pet. Gilken. ad l. non minore. 20. n. 6. C. de transact.
Polydorus Ripa tract. de nocturno tempore. cap. 134. n.
39. Diff. Rüger Ruland. tract. de commissar. par. 4. libr.
4. cap. 6. n. 19.

V.

An & die festo divinæ majestati de- dicato? Aff.

Ratio, quia feriæ non habent locum, ubi periculum est
in mora, ne occasione unius momenti res tota pereat. l. o-
mnes. 3. C. de feriis. l. 1. §. 2. l. 2. Et 3. ff. eod. cap. significave-
runt. 21. in fine. ubi Panormita. n. 23. 24. extr. de judic. Peck.
de jure sisten. cap. 7. n. 1. Huc pertinet, quod scitè & pru-
denter Iureconsultus quidam interrogatus, quidnam fe-
riis agi liceret? respondit, quod noceret prætermissum.
Diff. Colerus de process. execut. par. 3. c. 17. n. 90. per l. fi-
nal. C. de feriis.

A 3 VI. Num

VI.

Num in æde sacra , monasterio , & auditoriis publicis alicujus Academiæ , debitor liberè arrestari possit ? Aff.

Ratio , quia à tempore ad locum valet argumentatio . argum . l. vinum . 22 . ibi : cuius temporis . Et ibi : cuius loci . ff . de rebus credit . Sed Arrestum fieri potest , si periculum sit in mora , etiam tempore feriato . Videatur præcedens quæst . 5 . E . & in loco sacro & aliis privilegiatis . Moll . libr . 3 . se- mest . cap . 44 . n . 4 . ibi : nullo habito discrimine . Diss . Covarr . lib . 2 . var . resol . cap . 20 . n . 14 . Peck . de jure sister . capit . 6 . num . 1 . 2 . & alii ibi relati .

VII.

Num & in domo sua ? Aff.

Ratio , quia quamvis domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit contra vim . l . plerique . 18 . ff . de injus vocan . Per arresti tamen denunciationem nulla debitori fugitivo , vel suspecto de fuga , vis , nulla extractio inferatur . arg . l . dies . 4 . § . prætor . 5 . ibi : verecundè autem prætorem denuntiari debere , non extrahi de domo sua . ff . de dam . infect . Iason in l . pleriq . 18 . n . 26 . ff . de injus vocan . Diss . Peck . d . c . 6 . num . 3 .

VIII.

Iudici de debito fides fieri debet , antequam arrestum decernat . (a) At quomodo :

modo: An saltem per literaria docu-
menta? An & per testes? (b) Utroque
modo. An etiam per solum juramen-
tum? (c) Arbitrio judicis relinqui-
mus.

(a) Ratio est, quia subest ignominia quædam, quam ar-
restum infert, ideo illud judex præcipitanter & præprope-
rè decernere non debet.

(b) Iuris civilis ratio suaderet, ut debitor suum debitum
tām per testes, quām per literaria documenta probare pos-
sit. arg. t. t. ff. de probation. & t. t. ff. de fide instrument. Vti Do-
ctores hac in re consentire videntur. Peck. de jure sisten. c.
11. n. 3. Mascard. de probatio. vol. 1. concl. 455. n. 2. Kop-
pen lib. 1. decis. 29. n. 16. & plures ab his citati.

In Electoratu verò Saxonie, creditori arrestanti neces-
sarium videtur, ut debitum suum instrumentis aut aliis fide
dignis documentis ostendat. Torgaw. Ausschreiben. tit. Von
Arrest / wie derselbige zu verstatten. Ibi: Durch Urkunden / oder
andern glaublichen Schein. Col. de process. exec. par. 3. c. II.
n. 77. ibi : originales vel saltem exemplar fide dignum.

(c) Ratio est, quia res hæc magni est præjudicii, ideo ar-
bitramur judicem discretum considerare debere, an jura-
mentum pro decernendo arresto videatur sufficiens. arg. l.
metus. 3. ibi : sed hujus rei disquisitio judicis est. ff. ex quibus caus.
major. L. Mævia. 13. §. uxore. 1. ibi : non posse absolute responde-
ri, cum multa. &c. ff. de annuis legatis. Menoch. arbitr. judic.
quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 87. n. 6. Bernh. Græv. pract. concl.
L. 2. concl. 44. confid. 1. n. 14.

IX.

Ad formam Arresti Saxonici po- tissi-

tissimum pertinet, ut creditor à primo arresto impetrato & introducto, illud interjectis quatuordecim dierum intervallis, bis renovet, & tertia vice, à prima scilicet arresti impetratōe computanda, libellum simul arrestatorium judici exhibeat. (a) Sed nullum est arrestum, si creditor in intervallum illud 14. dierum anteveritat, puta 11. vel 12. aut 13. & sic citeriori die renovet? Aff. (b)

(a) *Const. Elect. 29. p. 1.*

(b) Ratio (1.) quia forma à lege vel statuto præscripta, ad unguem observanda est, adeò ut actus formâ non observata gestus, ipso jure nullus efficiatur, & hæc quidem formæ omissio in qualibet vel minima sui particula totum actum vitiat, cum indivisibilis sit & inseparabilis. *arg. l. scire. 13. §. consequens. 4. ff. de excusat. tutor. l. cùm hi. 8. §. si prætor. 17. ff. de transact. Rauchbar. p. 1. q. 3. n. 7. & 8. ubi ex Dd. addit,* hoc præscriptum procedere, si apposita sit clausula cassatoria, usque adeò, ut & in forma ne horæ quidem momentum immutari possit.

(2.) per clausulam cassatoriam d. *Const. Elect. 29. p. 1.* ibi: Und wo diese Form von einem Arrestanten überschritten/ so soll der gesuchte Kummer richtig seyn. Et extat in hanc rem Rescriptum Electorale novissimum ad Facultatem Iuridicam Lipsiensem de die 15. Decembr. An. 1606. Diss. Moller. ad d. const. 29. n. 2. & seqq. *Rauchbar. d. q. 3. n. 19, 20.*

An

X.

An creditor hoc spaciū quatuordecim dierum in unum terminum peremptorium convertere & complicare possit, ita ut si in primo vel secundo termino libellum arrestatorium judici simul offerat, ulteriori renovatione opus non habeat, & arrestum subsistat? Neg.

Ratio (1.) quia forma, in d. Const. Elector. 29. præscripta, sic non observatur, quæ tamen præcisè adimplenda est.

(2) quia intervalla quatuordecim dierum in favorem debitoris concessa & ampliata sunt, ut is interea de mediis solvendi cogitet, vel cautionem præstet, quo circa in ejus odium angustati non debent. arg. l. qnod favore. 6. C. de legibus. Diff. Rauchbar. d. q. 3. n. 21. Zanger. de except. part. 2. capit. 1. numer. 268.

XI.

An arrestum indebitè & injuriosè factum, ex justa superveniente causa confirmetur? Neg.

Ratio (1.) quia omissione formæ specificæ reddit actum ipso jure nullum. Quod autem nullum est ab initio, quod tamen in quaque re potissimum inspiciendum, arg. l. i. ff. de orig. jur. tractu temporis non convalescit. l. quod initio. 29. de R. I. cap. non confirmatur. 18. de R. I. in 6.

B

(2) arg.

(2) argum. l. i. §. hæc verba. s. vers proinde si ob falsum credi-
xum. ff. ne vis fiat ei, qui in possess. missus est. Peck. cap. 12.

XII.

Si debitor in justè arrestatus fidejusso-
res dederit, numquid eo ipso arrestum
approbare, injuriamque remittere cre-
ditori intelligatur? Neg.

Ratio (1.) quia actus agentium nihil operatur ultra eo-
rum intentionem. arg. l. non omnis. 19. ff. de rebus credit.
Sed debitor in justè arrestatus fidejussorem dans, non eum
ideò dat, ut actionem injuriarum tollat, sed solummodo,
ut arrestum impedit. Ergò hic actus intentionem debito-
ris fidejussorem dantis egredi non debet, & sic arrestatus
nihilominus injuriarum contra arrestantem agere potest,
cùm sciat jus suum sibi durare. arg. l. sicut re. 8. §. non vide-
tur. 15. ff. quibus mod. pignus vel hypoth. solvatur.

(2) quia ubi lex aliam conjecturam non remissi juris ha-
bere potest, earum omission ad extinctionem actionis debi-
tori competentis nullo modo sufficit. arg. capit. super hoc. §.
extr. de renunciat. Peck. cap. 13. n. 6.

XIII.

Arresto nullo pronunciato, quod
formalia & solēnitates non fuerint ob-
servatæ, an nihilominus debitor ad li-
bellum tanquam per viam ordinariam
obla-

oblatum respondere, & litem contestari teneatur? Aff. Si debitor coram illo judice ratione domicilii vel contractus forum sortiatur.

Ratio est, quia liberum est creditoris post arrestum etiam rejectum, ex chirographo debitoris agere, frustra igitur novus libellus petitur, circuitus enim in judicio vitandi, ne longa mora eos, qui in jure controverso hærent, atterat. Novell. 159. in princ. prefat. Moll. lib. 4. sem. capit. 12. Zanger de except. part. 2. cap. 1. n. 269.

XIII.

Arrestum ex una causa, nempe ex mutuo impetratum, an extendatur etiam ad aliam causam, puta exemptione, ita ut creditor bona arrestata ex illa retinere possit? Aff.

Ratio, quia creditor per arrestum hypothecam & jus reale consequitur. Const. Elect. 28. p. 1. ibi: Eine dingliche Rechtheit der Priorität halben. Non tantum autem ob pignus traditum, sed etiam ob hypothecam non traditam res à creditore ob aliam chirographariam pecuniam retineri potest, scilicet ille rem à debitore per hypothecariam avocat, & postea eandem pro alio credito chirographario retinet. l. unic. C. etiam ob chirographar. pecun. pignus retin. posse. Negusant. de pignor. part. 1. membr. 3. part. 5. princip. numer. 48.

B 2 Ar

XV.

Arrestum ad omnia bona generaliter impetratum, an ad bona futura extendatur? Aff.

Ratio, quia sub hypotheca generali, omnia omnino; etiam bona futura comprehenduntur. l. fin. C. que res pignori obliga. l. Titius. 21. fina. ff. qui potiores in pign. Sed per arrestum generale, generalis hypotheca inducitur. dict. constitut. Elector. 28. part. I.

XVI.

An arrestum generale in Consistorio Principis factum, ad debitoris bona sub tutelari, itemque incorporata, at non hæreditaria Principis jurisdictione sita, extendatur? Neg.

Ratio est, quia jurisdictionum non debet fieri confusio. argum. l. si per errorem, 15. ff. de jurisdiction. l. si quis ex aliena. s. ff. de judiciis.

XVII.

Bona arrestata à debitore alienata, an à creditore arrestante revocari & vindicari possint? Affirm.

Ratio,

Ratio, quia arrestantes per arrestum jus pignoris & privilegium reale consequuntur. Const. Elect. 28. p. 1. §. ferner flossen. Qui autem jus hypothecæ habet, bona hypothecata alienata à quocunque possessore potest vindicare. l. distractis 14. C. de pignorib.

XVIII.

Innotescit de fuga mercatoris cujusdam duobus creditoribus, quorum unus judicem non quidem pro tribunali sedentem, sed in via fortè publica eundem accedit, arrestum petens, judex cum post horam redire jubet, & interea tempus petiti à se arresti domi in librum suum refert: Mox alter creditor quasi prævertens judicem adit, & de arresto sollicitat, simulque impetrat: Uter ex his duobus, prioritatis privilegio gaudebit, isné, qui prior petierat, an alter, qui prior impetraverat? Is qui prior petiit.

Ratio, quia quamvis ad petitionem creditoris prioris sibi vigilantis certa judicis declaratio non sit subsecuta, consensisse tamen censetur eo ipso, quia tempus annotavit, & quia arrestum expressè priori non denegavit, causamque nullam denegandi habuit. arg. l. qui dotem. 37. ff. soluto matrimon. Moll. 3. sem. 44.

XIX.

Debitor arrestatus an propriis an alienis sumtibus alendus sit? Propriis.

Ratio (1) quia ita in bonis sequestratis observatur. arg. l. si quando. 7. fin. ibi: ut ex iisdem tantum litis sumbris & alimonia subministretur. C. de ordine cognitione,

(2) quia idem in missione in possessione juris est. arg. l. sed si is. 5. §. an autem 3. ibi: diminuendi causa, usque ad d. quod alimentis ejus necessarium est, mittendus est. ff. de carbon. edicto.

(3) arg. const. Ele&t. 22. §. Wann aber von den Gleubigern. par. 2. Exceptio est, nisi debitor evidenti prematur inopia, quo casu arrestans alimenta ei praestabit. arg. l. si instituta. 27. §. de inofficio. 3. ibi: propter inopiam pupilli placuit alimenta adversarium ei subministrare necesse habere. ff. de inoffic. testament. Quid autem à creditore tali casu loco alimentorum singulis diebus debitori praestandum? Hic quia conditio personarum inspicitur, judicis arbitrio relinquitur. Coler. de process. execut. p. 2. c. 3. à n. 120.

XX.

Arrestantes tempore priores, an creditoribus hypothecariis tempore posterioribus jure Saxonico preferantur? Affirm.

Ratio (1) quia arrestantes jus reale in bonis debitoris arrestati consequuntur. Const. Ele&t. 28. p. 1. §. ferner. ibi: Denen/h.e. Arrestanten/wir hiermit eine dingliche Gerechtigkeit der

Prioz

Prioriter halben / von der Stund anzufangen / da der erste Kummer
geschehen / vnd gebührlich verfolgt / geben vnd gestatten. Ergo hoc
jus illis absque facto proprio per debitorem postea alteri,
puta creditor i hypothecario rem obligantem afferri ne-
que juris neque aequitatis ratio patitur. arg. l. id quod nostrum
est. II. de R. I.

(2) per regulam generalem , qui prior est tempore. po-
tior est jure. cap. qui prior est tempore. 54. de R. I. in 6. Moll.
I. semeſ. cap. 26. n. 4. & ad' constit. Elect. 28. p. 1. n. 78, &
79. Diff. Rauchbar. p. 1. q. 4 . .

XXI.

Arrestanti posteriori debitor prius
solvit, is pecuniam bonâ fide consumit,
an prior arrestans à posteriore pecuniam
solutam revocare possit? Aff.

Ratio (1.) quia quamvis vigilantia & industria posterioris
creditoris debitum suum à debitore exigentis laudem
& præmium mereatur. arg. l. pupillus. 24. in fin. ibi: jus civile
vigilantibus scriptum est. ff. in fraud. creditor. l. summa cum
ratione. 21. in fin. princip. ff. de peculio. Tamen hoc non adeo
valere debet, ut propterea priori creditori jus suum reale,
quod ex primo arresto quæsumum habet, facto debitoris
afferri possit. arg. l. id quod nostrum est. II. de R. I. l. sed an
hic. 3. ff. quod cum in eo qui in aliena potesta.

(2.) per textum elegantem in l. scimus. 22. fin. §. sin vero
heredes. 6. C. de jure delibera. ubi licet creditoribus, qui ex
anterioribus veniunt hypothecis, res hypothecatas, si ex-
tant, à posterioribus hypothecariâ actione vindicare, vel
pecuniam, si consumta sit, per conditionem ex lege con-
dicere.

(3.) quia

(3.) quia qui prior est tempore , semper est potior , nec considerandum , uter possideat , nec ne . arg . l . creditor . 12 . § . si priori . 10 . ibi : licet posteriori res tradatur , adhuc potiorem esse priorem ff . qui potiores in pigno . Koppen . par . 1 . decis . 62 . fin . Diff . Rauchbar . p . 2 . q . 9 . Thomas Herbalius lib . rer . quotidian . singul . cap . 5 . Gail . 2 . obs . 25 . n . 16 . & alii .

XXII.

Num quis per pactum sese ad arrestum obligare possit ? Aff .

Ratio (1.) quia nihil tam congruum est fidei humanæ , quam ea , quæ inter partes placuerunt , servare . l . 1 . ff . de pact .

(2.) per Const . Elect . 21 . p . 2 . ibi : Sondern daß der Gleubiger vermittelst des Richters Hülffe . &c .

(3.) quia volenti non fit injuria . l . 1 . § . usque adeò . 5 . in fin . ff . de injuriis . l . in diem . 9 . § . 1 . ff . de aqua & aquæ pluv . arcen . Coler . de process . executiv . p . 1 . cap . 6 . à . n . 20 . usque 102 . Cladius de sequestration . cap . 5 . n . 106 .

XXIII.

An contractus arrestati , vel etiam carcerati , cum arrestante , arresto vel carcere adhuc durante initus valeat ? Aff .

Ratio , quia arrestatus ipse sibi metum , si quis est , intulit , ideo non de alio , sed de seipso queri debet . arg . l . si mulier . 21 . in fin . pr . ff . quod metus causa . Creditor sanè nihil eo casu injusti fecit . Gutirez . de juramento confirmator . p . 1 . cap . 57 . Peck . cap . 29 . Exceptio est , nisi debiti modus excedatur . arg . l . non est verisimile . 23 . fin . § . si quis . 3 . fin . ff . quod metus causa .

Si Mer-



XXIV.

Si mercator vel debitor fugiendo, vel bona è loco amovendo, arrestum fregebit, quo pœnæ genere coercendus sit? Si postea ejus copia haberi potest, arctiori vinculo includatur, & arbitrio judicis puniatur.

Ratio, quia ubi specialis pœna non est definita, licet iudici eam irrogare, quam voluerit. *arg. l.i.s. expilatores. i.ver. quibus nulla specialis ff. de effract. & expilator. Farinac. de carcer. & carcerat. li.i.t.4.q.30.*

XXV.

Qui arrestatum arresto vel carcere eximunt, quive arrestandum occultant, ut apprehendi nequeat, tandemq; effugiat, quâ actione teneantur? Actione in factum, ex edicto De eo, per quem factum erit. &c, ad id quod interest exolvendum.

Ratio est, quia uterque operam dat, ut creditor ab obligatione de facto eximatur, & debito spoliatur, quod forte, elapsò jam debitore, nunquam assuetur, *arg. l.ex hoc edicto. 7. ff. de eo per quem factum erit. Peck. cap. 26.*

XXVI.

Si ex duabus causis, quarum altera tantum probata est, quis arrestatus fue-

C rit,

rit , estne arrestum propterea solvendum? Neg.

Ratio (1.) quia quando una ratio è pluribus cessat, non statim jus totum corruit. arg l si non lex. 83 ff. de her. i. stituend.

(2.) quia utile non debet per inutile vitiari. argum. capit. utile. 37. dereg. jur. in 6.

XXVII.

Cautio sub qua arrestum propter litē agitandam relaxatur, an tantum judicio sisti, an insuper etiam judicatum solvi comprehendat? Si persona fuerit arrestata, cautio de judicio sisti videtur sufficiens. (a) Si bona, cautionē putamus præstandam esse de rebus cum fructibus conservandis & restituendis. (b)

(a) Ratio est, quia per cautionem de judicio sisti, actor tantundem consequitur, ac haberet, si arrestatus in arresto permaneret, non n. per solum arrestum conditio actoris fit melior, sed nihilominus regula illa locum habet: inanis est actio, quam excludit debitoris inopia. l. nam. 15 ff. de dolo mal. Modestin. Pistor, p. 3. q. 110.

(b) arg. l. litib. 20. ibi: si idoneū fidejussorem rotine summae præstiterint, quod omnes redites ei restituent. Cod. de agric. & censu. l. si quando fin. ibi: si modò salvam rem futuram per idoneos fidejussores promiserit. C. de ord. cognit. Köppen. p. 1. decis. 35. numer. 19. Schurff. cent. 3. consil. 15. n. 15.

XXVIII.

Arrestatus petit relaxari arrestum, sed

ob

ob inopiam vel aliam difficultatem fidejussoribus vel pignoribus cavere non potest, numquid ad juratoriam cautionem admittetur? Neg.

Ratio (1.) quia cum creditor per arrestum quodammodo incumbat rei, in qua plus cautionis est, quam in persona. l. plg cautionis. 25. de R. I. non videtur invitum cogi posse, ut debitori arrestum ad oblationem juratoriae cautionis dimittat.

(2.) quia cautio idonea ad relaxationem requiritur. Ea a. fit vel pignoribus datis, vel fidejussoribus constitutis, alias lis finem accipere debet arg. l. si fidejussor. 7. §. satis datum. 2 fin. ff. qui satis d. cog l. ergo. 4. §. addici. 8. ff. de fideicommissar. libert. præsertim quia est voluntaria. d. l. 7. §. i. vers. si a. satisdatio voluntaria est. Iason in l. i. n. 23. vers. sextio limita in eo ff. qui satis d. cog.

(3.) arg const. Elec. 30. p. i. ibi: so lang bis sie gewisse Versicherung gemacht. Hering. de fidejussor. cap. 18. n. 105

XXIX.

An judex, qui arrestum sub idonea & sufficienti cautione relaxare nolit, possit actione injuriarum conveniri? Aff.

Ratio est, quia si quid per injuriam fecerit magistratus, injuriarum potest conveniri. l. nec magistratibus. 32. ff. de injur. At judex, qui ad præstatam idoneam & sufficientem cautionem, arrestum non relaxat, nullum executionis juris prætextum habere potest, sed metas officii excedit, injuste & contra jura facit, quæ jubent, ut debitor arrestatus vel ejus bona, præstatâ idoneâ cautione relaxentur. arg. l. si fidejussor. 7. §. fin. qui satis d. cogant. Moller. lib. 2. semest. cap. 4. n. 16.

XXX.

An reus pecuniam, in quam conde-

C 2

mnatus



mnatus est, pro evitanda executione in
judicio deponere, & depositam sub præ-
textu reconventionis statim arrestare
possit, ita ut actor reconventus eandem
ad se recipere nequeat, antequam causa
reconventionis fuerit finita? Neg. Sed
actor reconventus pecuniam depositā
arresto non obstante ad se impunè reci-
pere potest.

Ratio (1.) quia reus sententiae non satisfacit, qui illud non
verè solvit victori, sed saltem apud judicem deponit, cùm
deponere pecuniam, non sit solvere. l. si se non obrulit. 4. §. ait
prætor. 3. ff. de re judicat. l. si rem. 9. §. omnis pecunia. 3. ff. de pign. ait.

(2.) quia reconventioni de jure Saxon. non est lecus, nisi
prius conventus planè sese liberaverit ab obligatione primi
actoris. Const. Elect. 7. p. 1. ibi: Und sey die Klage der Conven-
tion geendet vnd erörtert. quæ verba non tantum senten-
tiam, sed etiam executionem ejus omnino im-
portant. Coler. part. 2. decis. 275. Modest.
Pistor. p. 3. q. 114.

F I N I S.

.XXX

-AN LICENS BECNUIS. IN DIA M CONDE-

MIUS

C

Leipzig, Diss., 1593/1619

ULB Halle
004 954 793

3



VDTZ



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


urn:nbn:de:gbv:3:1-590054-p0024-9

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

| | | | |
|---------|-------|---------|--|
| Black | White | 3/Color | |
| Magenta | | | |
| Red | | | |
| Yellow | | | |
| Green | | | |
| Cyan | | | |
| Blue | | | |



7.26. num. 13. 8.14. 31

RIORES
CONTRO.
Saxoni- 1618, 4

20

refti.

HAUS I. U. D.

endet

VS VViteberg.

confuetis.

us Cober.

III.

